: Quaestio theologica
de processione Spiritus S.

QVÆSTIO THEOLOGICA,

DE PROCESSIONE SPIRITVS S.

Ex Prima Parte Angelici Doctoris.

A

M. PAVLO MIROWSKI Phil: Doct: Sacræ Th. Baccalaureo, ad disputandum publicè proposita.

Præsidente

Admodum Reuerendo Domino

D. MARTINO CAMPIO VADOVIO, S. Th. D. & Professſ: nec non eiusdem Facultatis Theol: Decano, Præposito S. Floriani &c. Præceptore singulariter colendo.

Anno Salutis humanæ, M. DC. XXXIV. Menſe Iunio,

In Lectorio DD. Theologorum.

IN NAVIM ALLVSIO.



Quo Sacro decorata pedo mitraq; citatum
Vrget iter celeri pulſa Carina Noto?
Kiiouiam, panem de longè portat ad Vrbem
Chriſtigenum poſſit quo ſaciare famem.
I ſacra ter Nauis fœlicibus vtere velis,
En tibi Diuini Spiritus aura fauet.

Illustrissimo & Reuerendissimo Domino,

D. ANDREÆ SZOŁDRSKI

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia,

EPISCOPO KIIOVIÆ,

Gnesnē: Posnaniē: Præposito, Cantori Crac.

Serenissimi & Eminentissimi

DOMINI,

D. JOANNIS ADALBERTI

Dei Gratia Poloniæ & Sueciæ Principis, Sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconi Cardinalis, Episcopatus Crac: Administratoris, Duci Seuerieñ.

Coadministratori & Cancellario.

Domino & Mæcenati Amplissimo.

M. PAVLVS MIROWSKI Phil: D. S. T. Bac: Fœlicitatem.

Arcana in Diuinis Amoris Processio, breui hac disceptatione declarata, sub Tuo in lucem prodit nomine, ANTISTES AMPLISSIME, cui Deus tuendæ suæ aduersus defectionem schismatis, maiestati concessit facul-

ſit facultatem. Et quidem hæc Romanæ Fidei de Spiritu Sancto dogmata, Tibi honoris Diuini in partibus illis vindici, iure debebantur. Amor hic Diuinus & Sanctiſſimus Perſonæ in Diuinis vtriusq; nexus, vel vſq; eò Tibi præire volebat fœliciſſimè, vbi defectionis turpiſſimæ tumultuaria conſpiratione, à ſchiſmate, vel cum magno multorum detrimento pulſus eſt & fugatus. Vtinam vero & hi, Te Præſule, prudentiſſimo ad veritatem aliquando atq; Eccleſiæ Vnionem poſtliminio reuertant. Nullum ſecuriùs ab impetu Barbarorum anniuerſario facit propugnaculum, quàm hæc animorum & dogmatum Conſenſio fidelis. Nunc Te Deus deſertoribus illis ad veritatem reducendis, Prudentiſſimo & Sapientiſſimo Duce, vti voluit, nè quid illis defuiſſe videretur, quod ad eorum ſalutem inſtaurandam pertineret. De Tua eruditione, Sapientia, Diuini honoris zelo, omnibusq; ornamentis inſignita virtute, apud bonos omnes viget opinio, vt fœliciſſimam ampliſſimi muneris adminiſtrationem, à Te ſibi certo ſpondeant & polliceantur. Quocirca decuit & me qualicunq; opere, nouam Tibi dignitatis & exiſtimationis acceſſionem gratulari, neq; tibi magis quàm toti Eccleſiæ Kuiouienſi Ruſſiæ vniuerſæ. O

Te

Te fortunatam tali custode Russiam, Beatam tali Parente. Habebis propugnatorem acerrimum, Patronum in tua libertate vindicanda animosum, Athletam inuictissimum, qui acceptam à maioribus doctrinam, singula Fidei Capita, Conciliorum auctoritatem, ipsam deniq; veritatem, intrepidè aduersus insultantium calumnias, & assilientium catellorum latratus, tueatur. Tu interim, PRÆSVL ILLVSTRISSIME, *progredere Bono Deo, quò virtus tua te vocat, quò nominis immortale decus inuitat, quò vrget immortalis recte factorum vita, quò Reipublicæ & Kiiouiæ gementis vota trahunt, & hoc meæ erga te voluntatis Mnomosinon, accipe. Et pro ea qua non neminem prosequeris beneuolentiâ, gratia & patrocinio complectere; & licet incognitum obsequentissimorum nomini tuo Clientum numero annumera.*

QVÆSTIO THEOLOGICA.

De Processione Spiritus Sancti.

An in myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis, præter æternam Verbi proceſſionem, alia, quæ non ſit generatio, ſit ponenda: per quam Spiritus ſanctus à Patre & Filio procedens: & eandem Eſſentiam Diuinam habens; ſit vtrique ſimilis realiter, necne?

CON-

CONCLVSIO I.

Præter Processionem Verbi æterni in Diuinis, datur alia Processio Amoris.

COROLLARIA.

1. *In Diuinis Processiones nequeunt plures assignari quàm duæ, Intellectus & Voluntatis.*
2. *Amoris Processio non est generatio, nec Procedens dici potest genitus aut Filius, sed Spiritus sanctus.*
3. *Distinguitur Verbi Processio à Processione amoris realiter.*
4. *Processiones has non rectè imaginatur Scotus se ipsis distingui.*

CONCLVSIO II.

Catholica professio est certissima, Spiritum Sanctum à Patre Filioq; procedere, Græ-

corum,

corum, Schyſmaticorum, Armænorum, & Moſchorum, à ſolo Patre, erronea & execranda.

COROLLARIA.

1. *Licet Pater & Filius ſint duo ſpirantes, vnum nihilominus ſunt principium Spiritus Sancti, propter vnam virtutem vtriusq́.*
2. *Optime etiam infertur, licet ſint duo ſpirantes, vnum eſſe ſpiratorem.*
3. *Amor in Diuinis nec plenius nec magis, ſed æquè à Patre quàm à Filio Procedit.*
4. *Sicut Scripturæ vnus locus, ita nec quædam concilia, in quibus nulla fuit mentio Filij, tollit Proceſſionem à Patre & Filio, Spiritus Sancti.*

CONCLVSIO III.

Spiritus Sanctus vere eſt Deus, eiuſdem Eſſentiæ, & Diuinitatis cum Patre & Filio.

CORO-

COROLLARIA.

1. In Diuinis non est aliud quod constituat, & distinguat Personas quam relatio.

2. Spiritus Sanctus eandem habet naturam, cum Patre & Filio.

3. Non potest etiam dici minor, licet à Patre & Filio procedat.

4. Ita etiam necessario Spiritus Sanctus, Procedit à Filio, quod si non procederet, non distingueretur ab eo personaliter.

CONCLVSIO IV.

Licet amor in Diuinis Procedens, sit similis realiter illi, à quo procedit, non tamen est similis, secundum intentionem agentis.

COROLLARIA.

Proce-

1. *Procedens dicitur Spiritus Sanctus, quia sicut Filius semper generatur, ita Spiritus Sanctus spiratur.*

2. *Etsi Persona Spiritus Sancti Procedens non est similis illi Causaliter, à quo Procedit, est tamen coæterna suo Principio.*

3. *Ita etiam naturaliter & à natura procedit Spiritus Sanctus, à Patre sicut & Filius.*

4. *Procedere à Patre & Filio, ut Creaturam Spiritum Sanctum, est dogma Arrianum.*



Sub fælicibus auspiciis Magnifici Dñi & Clarissimi Viri D. CHRISTOPHORI NAYMANOVICZ Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, Vniuersitatis Cracou: Vigilantissimi & Generalis RECTORIS.

CRACOVIÆ In Officina Francisci Cæsarij.